



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Fratri Rainerio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

stram præsentiam veniens, cùm diutius expeditasset, tandem quidam se Capituli nomine præsentavit: qui de procuratione sua literas quasdam ostendens, contra eum proposuit quæ sequuntur; quòd scilicet veritate tacita, & in excommunicatione positus, literas impetravit, & talibus Romana Ecclesia non confuevit ecclesiastica beneficia imperfiri, & quòd unus solus de tribus executoribus mandatum apostolicum fuerit executus. propter quod, & quoniam executorem ipsum tanquam consanguineum ipsius P. suspectum habebat, ante executionem Capitulum ad sedem apostolicam appellavit. & quòd ipse P. de non vacante præbenda fuit, quia jam alij ex quo vacaverat collata fuerat, investitus. Cujus objectionibus responsum fuit taliter ex adverso, quòd si excommunicatus tunc temporis extitisset, quod penitus denegabat, hoc ab adversariis, qui ei ferè per biennium communicaverant, eumque pro non excommunicato habuerant, non poterat allegari. Executorem autem non solum in executione processisse illa ratione dicebat, quia tam suis quam alterius partibus fungebatur. Appellationem verò Capituli nullam dicebat, cùm fuisset inhibita in rescripto. Et licet dicatur quòd ex secundo delegato & à suspecto judge licet appellare, illud tantum in judicibus & non in executoribus locum habet, à quibus appellari non potest, nisi modum executionis excedant. Quòd autem de vacante fuerit investitus, & per literas executoris se probasse dicebat, & in partibus illis, si opus esset, melius probaturum. Cùmque super his & aliis coram eodem Cardinale diutius litigassent, tandem habito prudentum consilio ira sententialiter dissinivit, ut si prænominalis P. probare poterit quòd priusquam præbenda vacavit, de ea vacante antè quam alius fuerit investitus, ipsam de cetero possideat in quiete, nisi contrarium pars adversa probando poterit prævalere, vel quòd tunc temporis excommunicatus fuisset, & vitatus ab eis, quo literas impetravit. Nos ergo quod à prædicto Cardinali rationabiliter factum est, ratum habentes, per apostol. vobis scripta mandamus quatenus super præmissis articulis, utrum præbenda tempore investitura vacaverit, & Clericus excommunicatus fuerit quando literas

impetravit, & à Canonicis evitatus, inquiratis diligentius veritatem, & pro varietate probationum latam à Cardinale sententiam, auctoritate nostra freti, faciatis appellatione remota inviolabili observari. Si verò postquam idem Clericus appellationem legitimè interposuit, & iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, in ipsius præjudicium factum est aliquid de præbenda, sicut justum fuerit, in irritum revocetis. Nullis literis &c. præter assensum partium &c. Testes &c. cogantur. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Roma apud sanctum Petrum VIII. Idus Junij.

FRATRI RAINERIO.

Referente dilecto filio magistro scholarum Bracaren. Ecclesiè nuncio & Clerico carissimi in Christo filij nostri S. Illustris Regis Portugalensis, nostris estauribus intimatum quòd cùm inter ipsum & illustrem Regem Castelæ pacis foedera intervenerint, & utrinque fuerint juramentis ab ipsis Regibus & eorum vassallis corporaliter præstitis confirmata, nunc quidam homines pestilentes, qui gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, inter eosdem Reges pro dilectione odium seminantes, ad rixas & contentiones eos inducere nequiter elaborant. Quia verò nemini licet juramenta, quæ honestatem continent, violare; discretionis tuae per apostolica scripta mandamus quatenus præfatos Reges & eorum homines, ut pacem adinvicem habeant & observent, sicut inter eos appareat per instrumentum publicum convenisse, sollicitè moneas & inducas, &, si opus fuerit, per excommunicationis & interdicti sententias ad id eos appellatione remota compellere studeas, sicut videris expedire. Si quid autem contra formam pacis utrinque inveneris attenuatum, per tuam solicitudinem appellatione remota facias emendari. Datum &c. ut suprà. Pontificatus nostri anno primo.

Scriptum est Regi Portugalensi super hoc.

Epist. 145.
v. 1 Portuallii
& Castellano-
ges percussem
& jurejurando
confirmando
foedus servan-
cogar.